



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Huiusmodi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

*ire non potest sine licentia Papa vel Legati à Latere, si exemptus est, proximi autem Superioris, videlicet Episcopi, si exemptus non est.*

2. *Episcopus ad alium Episcopatum postulari debet, eligi non potest.*

**A**bbas Sedi Apostolicæ immediatè subiectus, licet in Episcopum eligi possit, tamen monasterium deserere, & ad aliam ecclesiam transire ei non licet, nisi à Pontificæ, vel Legato à Latere, si in prouincia sit, licentiam acceperit.

**NOTANDVM** Vn. Abbas, sicuti & alius Religiosus, ad Episcopatum eligitur: Episcopus autem ad alium Episcopatum postulari debet. Ita docet Gl. hic. Nam sacri canones prohibent Episcopum ad alium Episcopatum transferri, nisi Sum. Pontifex dispenset, à quo talis translatio postulari debet, c. inter corporalia 2. & c. vlt. de translat. Episcopi. At verò alijs Prælatijs Episcopo inferioribus etiam regularibus permittunt sacri canones, vt à sua ecclesiâ translati, ad Episcopatum assumantur, vt constat ex c. nisi, 10. prope finem, de renunt. dummodo licentia eius Superioris, cui subiecti sunt, accesserit. Aliud est autem licentiam dare, & aliud in lege dispensare, vt explicauit lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 1. ver. Tertio.

Corollarium. Licentiâ assentiendi electioni, & transeundi ad Episcopatû, aliamue prælaturam petere debet Abbas à proximo suo Superiore; videl. ab Episcopo, si exemptus non est; à Papa verò, vel Legato eius à latere, si exemptus ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectus. Ita Ioann. Monachus n. 1. vbi addit, si Sedes Episcopalis vacet, Capitulum talem licentiâ dare posse.

### §. Huiusmodi.

**L**egatus à latere, seu Cardinalis, cum post Romanum Pontificem maximam potestatem habeat in prouincia, ad quam missus est, Archiepiscoporum, Episcoporum, & exemptorum Prælatorum, electiones ex officio

confirmare potest. At verò alijs Legati, seu Nuncij, non à latere, sine speciali commissione id agere haud possunt. De hac re dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 6. n. 22.

## CAPITVLVM XXXVII

### Si Compromissarius.

#### SUMMARIVM.

1. *Si Compromissarius vnus vel plures non eligunt intra tempus iuris, potest in prouidendi ad proximum Superiorem deuoluitur.*
2. *Si eligant, sed indignum, vel electum acceperit, redit ad compromittentes.*
3. *Et ipsi soli eligentes à beneficijs ecclesiasticis per triennium suspensi sunt; Compromittentes autem tunc solum, quando id scienter ratum habuerint.*
4. *Pæna tamen hac suspensionis non habet locum in Episcopo compromissario.*
5. *Neque in electione inferiorum Episcopis.*
6. *Capitulares si in electione hac inferiorum Episcopis eligant indignum, electio probabiliter ipso iure irrita est, atque potestas eligendi deuoluitur ad alios non delinquentes.*
7. *Restringitur etiam hac pæna ad beneficia, que elector possidet in ea ecclesia, quam per indignam electionem offendit.*

**S**I Compromissarius vnus, vel plures ad eligendum Episcopum constituti intra tres menses à die vacationis numerandos eligere culpabiliter intermittant, potestas prouidendi ad proximum Superiorem deuoluitur. Quare sibi imputare debent compromittentes, quòd eligendi potestatem in talem, vel tales personas contulerint.

### §. Si verò.

**S**In autem Compromissarius, aut Compromissarij eligant indignum, seu scienter